



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

Praefatio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

ANNO  
CHRISTI  
1181.

CONCILIVM SALTZBURGENSE  
IN CAUSA ECCLESIASTICÆ DISCIPLINÆ,  
tempore Friderici archiepiscopi habitum anno Do-  
mini MCCLXXXI. sub Martino papa quarto.

TITVLI CAPITVLORVM.

- |  |  |
|--|--|
| I. De alienationibus ecclesiarum.                                  | XI. De residentia plebanorum.  |
| II. De dispensatione & pralato-<br>rum ratione facienda.           | XII. De aduocatis ecclesiarum.   |
| III. De ieiunio religiosorum.                                      | XIII. De his qui violentas ma-<br>nus mittunt in clericos.                       |
| IV. De monachis & regularibus<br>proprietas.                       | XIV. De his qui loca sacra exe-<br>crauerint violenta sanguinis ef-<br>fusione.  |
| V. De habitu religiosorum.   | XV. Contra patronos & indices,<br>qui bona decedentium clerico-<br>rum inuadunt. |
| VI. De discursu religiosorum.                                      | XVI. De psalmo, Domine quid<br>multiplicati sunt.                                |
| VII. De capitulis episcoporum, ab-<br>batum, & aliorum prelatorum. | XVII. De falsariis clericis & lai-<br>cis quocumque modo.                        |
| VIII. De immoderatis sumptibus<br>visitatorum.                     | XVIII. De his qui a laicis insti-<br>tuuntur.                                    |
| IX. De monialibus in claustris cō-<br>munem vitam non ducentibus.  |  |
| X. De pluribus beneficiis curam a-<br>nimarum habentibus.          |  |

HÆC SVNT INSTITVTA VENERABILIS  
domini Friderici archiepiscopi ecclesie Saltzburgerensis, apo-  
stolicæ sedis legati, instituta in prouinciali Concilio  
Saltzburgerensi anno Domini MCCLXXXI.

PRÆFATIO.

CVM instantia nostra quotidiana esse debeat sollicitudo  
ecclesiarum nobis commissarum, ideo ad laudem &  
gloriam Domini nostri Iesu Christi, qui est omnium bo-  
norum solidum firmamentum, nos Fridericus Dei gra-  
tia sanctæ Saltzburgerensis ecclesie archiepiscopus, apo-  
stolicæ sedis legatus, Hanno, Vvilielmus, Bruno, \* Thimon,  
Bernhardus, Gerardus, Frisingensis, Ratisponensis, Pata-  
uiensis, Brixinensis, Chimensis, Secouensis, Lauentinen-  
sis, episcopi, Saltzburgæ in prouinciali Concilio congre-  
gati infra scriptas constitutiones ex causis rationabilibus



solenniter ac communiter edidimus, & promulgatas publice mandamus per eandem prouinciam inuiolabiliter obseruari.

ANNO  
CXXXIII.

## CAPITVLA.

### I.

Quia multi prælati bona ecclesiastica alienant, vendunt vel distrahunt minus iuste, vel etiam locationes longi temporis & nociuas faciunt, de eisdem statuimus, vt nihil talium de cetero attentare præsumant, nisi expresse auctoritate episcopi, & consensu conuentus monasterii accedente, alias locatio & alienatio prorsus sit irrita, & alienator ab administratione temporalium, & ab ingressu ecclesiæ tamdiu sit suspensus, donec ecclesiam reddat indemnem. Et vt circa hæc fraus & alienationis materia præcludatur, volumus vt sigillum capituli non apud abbatem, vel apud prælatum, sed apud maturiores & fide digniores tres fratres capituli referuetur.

### II.

Item, ne etiam res ecclesiasticæ in vsu indebitos conuertantur, & fidelis dispensatio prælatorum apparentius elucescat, diffinimus, vt de bonis ecclesiæ semel in anno prælatus cuiuslibet conuentus ecclesiæ conuenientium suo de omnibus redditibus & prouentibus monasterio plenam faciat rationem, præsentem episcopo, vel eius nuntio ad hoc specialiter deputato, si episcopus fuerit ad hoc requisitus: & bis vel ter in anno a suis officialibus, monachis & laicis computationem discretam faciat & fidelem: alioquin incidit supradictam \*.

\* fere  
p. 220